

berum censeo ab excommunicatione; non sic tamen à reservatione, præcipue cum hæc principaliter afficiat Confessarium. Bellochius, Capeaville, aliique, contra Mazuchellum.

CAS. III. Velle Parochus pro defuncto in die obitus Missam de Requiem in cantu celebrare. At cum nec Ministros, nec Cantores habeat, eandem privatam celebrat. Q. an bene.

Respondeo affirmative cum Pasqualigo de Sacrif. Nov. Leg. q. 286. & Cavalieri in Agen. Defunct. cap. 4. dec. 2. num. 2. & seqq. Rationem ab hoc desumo, quia in Ecclesiis, in quibus Ministri haberi nequeunt, potest id licite fieri pro Anniversario, quod non est nisi annua recensio diei obitus; ut constat ex Decreto S. R. Congregationis die 19. Junii 1700. incipiente: *In Ecclesiis ruralibus*, per extensum à nobis relato in responsione ad Cas. 3. Januarii. Ergo à fortiori idem fieri potest in die obitus, de quo validiores urgent rationes, majoresque sunt concessæ dispensationes. Nec refert, quod tale Decretum fuerit editum pro *Ecclesiis ruralibus*; ideo enim res ita se habet, quia pro iis tantum fuit facta petitio. Cæterum idem valeret etiam pro aliis, in quibus Ministri haberi facile nequeunt, ex hoc infero, quod anno 1725. jussu Bened. PP. XIII. evulgatum fuit *Memoriale Rituum* indefinite pro Ecclesiis minoribus, quo in his privatim haberi posse permittuntur Missæ omnes, quæ in aliis Ecclesiis non minoribus solemnes dumtaxat haberi queunt. Favet aliquo modo nostræ assertioni etiam Rituale Romanum Tit. de Exeq. num. 4. & 5. dicens: Illud antiquissimi instituti retineatur, ut quantum fieri potest, Missa, præsentem corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulture tradatur: quæ locutio, ut patet, generalis est, ac indefinita. Denique Ecclesia æque est Mater pia pro omnibus fidelibus defunctis in eadem circumstantia defectus Ministrorum. Ergo &c.

M E N S E S E P T E M B R I S.
CAS. I. Berta, optime conscia, quod Titius cum aliis conjuratis inquireret maritum suum ad necem, istum non monuit, eo fine, ut eodem occiso (prout factum est) ipsa posset nubere Titio, cum quo adulteravit. Q. an valeat Titio nubere?

Respondeo negative, saltem si Titius occidit ejus maritum, ex fine ipsam ducendi. Ratio est, quia in hoc casu inter ipsam, & Titium datur impedimentum criminis, ortum, non quidem ex quo per non monitionem dici possit, & ipsa proprie machinata in Conjugis mortem, nam sic mere negative se habuit in ordine ad illam; sed ortum ex adulterio, uti supponitur tempore conjugii patrato cum Titio, & existius machinatione, cum effectu, in mortem ejus mariti: quæ duo simul sufficiunt ad gignendum inter ipsam Bertam & Titium præfatum impedimentum, dirimens Matrimonium, ut colligitur ex cap. Si quis vivente can. 31. quæst. 1. ubi dicitur; non obstante adulterio post mortem conjugis, &c. nisi forte vir aut mulier, virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur: quod habetur etiam ex cap. Propositum, & cap. Significasti, de eo qui duxit, quam polluit, &c. Addidi tamen in responsione, saltem si Titius occidit ejus maritum ex fine ipsam ducendi, eo quia non levis dissensio est inter DD. an ad inducendum

dum criminis impedimentum ex adulterio, & machinatione tunc tantum, sit necesse, quod occisio fuerit facta animo postea ducendi conjugem superstitem. Siquidem id negant Cajetanus, Petrus Soto, ac alii non pauci, ea innixi ratione, quod cum istud impedimentum fuerit inductum à jure Canonico, hujus textibus standum est: qui proinde cum nullibi hujuscæ animi seu intentionis conditionem apponant, hinc fit, eam non esse necessariam. Affirmant è contrario Sanchez, Giribaldus, cæterique communius, quia istud impedimentum fuit inductum in bonum conjugatorum, ne scilicet unus alteri necem moliat, ut alium, seu aliam ducat, equidem fateor utriusque opinionis fundamentum solidum mihi videri; primum tamen solidius, eo quia finis legis quid diversum est ab ipsa lege, quæ hic videtur attendenda. Propterea usquequo mihi non probeatur, hanc per legitimam consuetudinem, contrariæ opinioni faventem, fuisse abrogatam, primæ sententiæ me subscribo.

CAS. II. Cajus posteaquam legit dictum illud D. Gregorii in 4. Dialog. Curatio funeris, conditio sepulture, pompa exequiarum, magis sunt vivorum solatia, quam subsidia Defunctorum, pluries, ac pertinaciter asseruit, solemnia Mortuorum funera esse mere inventa à scelerata Ecclesiasticorum lucrandi cupidine excogitata. Q. an mortaliter peccaverit, ac sit SS. Inquisitioni denunciandus?

Resp. affirmative quoad utrumque cum Ignatio Lupo in Lucæ Edict. SS. Inquisit. part. 4. lib. 26. art. 3. Ratio primæ partis est, quia hujusmodi assertiones falsæ sunt, detractoriæ in re gravi, & hæreticorum propriæ. Sunt falsæ, ut patet ex Rituali Romano tit. de Exeq. & ex Notif. 16. vol. 2. Bened. XIV. Et sane quid magis falsum, quam quod prædicta sint mera inventa, cum respiciant Ecclesiasticos ritus, & cæremonias ab Ecclesia institutas? Quid gravius detractosum, quam quod eadem sint inventa, excogitata à scelerata Ecclesiasticorum lucrandi cupidine? Quid denique hæreticis magis proprium, quam sic irridere catholicæ Ecclesiæ ritibus, ac cæremoniis, ejusdemque Ministris? Evenire quidem per accidens potest, ut ea, quæ ad funeris ornatum, ac splendorem adhibentur, vivis quantumque prosint ad solatium. Non est tamen dubitandum, quin etiam defunctis maxime prosint ad subsidium; ut recte ait Balinûs cas. 9. per ea namque excitantur viventes ad compatiendum, ac orandum pro mortuis, ac ipsa incredibiliter suffragantur defunctis in Purgatorio existentibus. Cum igitur Cajus prædicta, hisce contraria, pluries, ac pertinaciter asseruerit, indubium est, ipsum peccasse mortaliter. Quod attinet postea ad auctoritatem D. Gregorii, dico, S. Doctorem ibi non detestari exequiarum pompas, convenientes statui, ac conditioni personæ, & hæredum, sed excessum, qui superbiam potius sapere videtur, quam pietatem. Ex dictis facile infertur etiam probatio secundæ partis, nempe quod Cajus sic denunciandus sanctissimæ Inquisitioni; nam præfata ipsius assertiones sunt etiam erroneæ, scandalosæ, ac hæreticæ, propterea cum illas protulerit pluries, & cum pertinacia, dicendum est, ipsum esse denunciandum sanctissimæ Inquisitioni, ut constat ex ipsomet hujuscæ sacri Tribunalis Edicto.

CAS. III. Titius obiit summo mane diei Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Quid faciendum, si tertius, septimus, trigesimus, vel anniversarius dies, in diem Dominicam, seu festum de præcepto, etiam secundæ Classis incidit. *id est, si obiit diebus, quibus non celebratur Missa, sed diebus, quibus celebratur.*

Respondedo quantum ad primam partem, quod si corpus Titii tali die opportunè deferauit in Ecclesiam, Missa est pro eo celebranda ut in die obitus, nam apud Meratum, & Cavalieri, id declaravit S. R. C. die 14. Aprilis 1646. hisce verbis: *Missa in die obitus, præsentè corpore, ultra Missam de communi defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.* Et sane si in die festivo de præcepto, præsentè corpore, eadem Missa cantari potest, ut supra diximus; cur celebranda non erit in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, quæ festiva non est de præcepto? Immo licet cadaver non sit præsentè, adhuc potest celebrari in die obitus, quia non est duplex de præcepto. Quantum postea ad secundam partem dico, in hisce casibus Missas cantatas de Requiem esse transferendas in diem antecedentem, vel subsequentem non impeditam, juxta Decretum S. R. C. sub die 27. Septembris 1608. & aliud die 9. Maji 1614. & aliud die 4. Maji 1686. quæ jam supra indicavimus; non enim Missa solemnè de Requiem prædictis diebus cantari potest, si tunc occurrat festum de præcepto, aut duplex, primæ, vel secundæ classis, ut quoad dies tertiam, septimam, & trigesimam constat ex Decreto S. R. C. sub die 27. Septembris 1669. & quoad diem anniversariam ex Decretis à nobis allatis in responsione ad Cas. III. Januarii. Unde in hisce casibus faciendæ est dicta translatio.

CAS. I. Adolescens, deditus peccato mollitiæ, quadam die actus æstro poenitentia, vovit ingredi certam Religionem infra annum, si interim Dei gratia se pollere omittat. Verum post aliquot dies nolens amplius præfatam ingressum, data opera se denuo polluit, etsi cum longe minori frequentia. Quid teneatur amplius Religionem ingredi?

Respondedo cum Salmanicensibus de voto cap. 1. num. 173. Giribaldo, aliisque communius, ipsum gravissime quidem peccasse, malitiose impediendo conditionem, sed probabilis non teneri amplius ingredi Religionem. Ratio est, quia non est impleta conditio, sub qua votum emisit, intenditque se obligare. Unde cum votum obligatio certum habeat, pendeatque ab intentione votantis, & hæc fuerit alligata eventui talis conditionis, hinc fit, quod non interveniente, ac impedito ejusdem eventui, non emergat implendi voti obligatio. Neque dicas, admissa hac doctrina, stare in arbitrio votantis inrisoriam reddere promissionem Deo factam, ac se à contracto vinculo per nefas solvere. Concedo enim sequelam, magnumque nefas in casu intervenire, sed assertum esse veritati conformem, semel ac enim apposita conditionis eventus ab ipsius votantis voluptate dependet, potest hic per abusum suæ libertatis talem eventum revera impedire, & sic cum

non sequatur id, quo solum verificato intendit se obligare, ipsi revera non advenit obligationis casus, & sic amplius non tenetur. Nec refert, quod ex sua malitia reportet commodum; id enim evenit per accidens, ex quo nempe ob prædictam rationem cesset voti obligatio. Neque reponas legem *In executione §. fin. ff. de Verb. Oblig.* ubi habetur, quod quicumque sub conditione obligatus, curaverit ne conditio existeret, nihilominus obligatur. Nam tum hæc, cum aliæ leges consimiles valent cum onus alteri homini se obligavit ex justitia, & ex conditionis impedimento resultat alteri damnum, quod in casu conditionis implementum malitiose impediens adhuc certe obligatur vel promissum, vel contractum implere, vel damnum reficere, quod inde alteri resultat. Ast sumus in casu valde diverso: hic namque non agitur de obligatione ex virtute justitiæ erga homines, sed de obligatione ex virtute religionis erga Deum, qui effective, nullum patitur damnum, etiamsi adolescens voti obligationem cessare fecerit per impedimentum conditionis verificationi appositum, ideoque ei satisfic per Pœnitentiam, & satisfactionem. Vide Giribaldum de Obligat. Vot. dub. 5. num. 57. & 58.

CAS. II. Vidua ex Parochia A, transtulit se ad habitandum in Parochia B, ubi locavit domum ad sex menses tantum, eo quod animum haberet, his elapsis, statim redeundi ad habitandum in Parochia A. Si hæc interim denuo nubat, ejus Matrimonio debet ne assistere Parochus Parochiæ B, an Parochiæ A?

Resp. cum dist. Vel vidua se transferendo in Parochiam B habuit animum amittendi per illos sex menses domicilium Parochiæ A, ipsumque figendi per illud tempus in Parochia B, & tunc dico, debere ejus matrimonio assistere Parochum Parochiæ B. Vel habuit animum non amittendi domicilium Parochiæ A, sed tantum transigendi illos sex menses in Parochia B, & in hoc casu dico, debere ejus matrimonio assistere Parochum Parochiæ A. Ratio primæ partis est, quia eo tunc vidua habet suum quasi domicilium in Parochia B; intervenit enim quoad hoc animus, & factum: Animus quia intendit huc suum domicilium transferre, ac figere per illos sex menses: Factum, quia revera incepit hic habitare cum tali animo. Unde cum jus, seu facultas assistendi sequatur domicilium, seu quasi domicilium; hinc fit, quod Parochus Parochiæ B, utpote Parochus actualis quasi domicilii viduæ, debeat hujus matrimonio assistere. Neque dicas fieri posse, quod iterum nubat post modicum temporis à mutatione domicilii, unde cum illius mora in tali Parochia non sit per majorem, immo nec per dimidiam anni partem, saltè eo tunc spectat ad Parochum Parochiæ A ejus matrimonio assistere. Contra enim, concedo assumptum, sed nego illatum, ut enim quis juxta commune jus, & usum Ecclesiæ sortiatur Parochiam, sitque subditus proprio Sacerdoti talis Parochiæ, sufficit inchoata habitatio cum animo ibi manendi per anni medietatem circum circa; ut quoad inchoatam habitationem colligitur ex c. fin. de Paroch. & ex Gloss. V. larem in l. Cives, Cod. de Incol. ac tradit Bordonus tom. 2. res. 39. n. 26. Et quoad medietatem anni circum circa, Tamburinus de Pœnit. cap. 4. §. 3. n. 13. allegans cap. de Sepult. in 6. Propterea cum vidua etiam in tali casu revera

inchoaverit in Parochia B suam habitationem cum animo, &c. ideo dicendum, etiam in tali casu Parochum Parochiæ B, debere illius matrimonio assistere; uti etiam colligitur ex quadam S. C. declaratione, penes Farinacium in Not. ad Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. n. 2. Ratio postea sec. part. est, quia sola translatio personæ ad habitandum in alia Parochia non sufficit ad hoc, ut quis ibi dicatur proprie habere domicilium, vel quasi domicilium, ut patet ex l. scire oportet 35. ff. ad Municip. & ex l. 7. Cod. de incolis; sed ulterius requiritur animus amittendi domicilium, vel quasi, hætenus habitum, illudque figendi in loco novæ habitationis, ut ex l. domicilium juncta Glossa, ff. ad Municip. tradunt Layman, Tamburinus, aliique comm. Ergo si vidua habuit animum non amittendi domicilium Parochiæ A, (puta, si prosecuta est ibi habere domum cum majori parte bonorum, seque explicuit ante transmirationem, quod intendebat ibidem prosequi domicilium) sed tantum transigendi illos sex menses in Parochia B, tunc non spectat ad hujus Parochum ejus matrimonio assistere, sed ad Parochum Parochiæ A, qui adhuc est ejus Parochus, ut docet Pignatellus tom. 7. cons. 63. allegans decisionem Rotæ, ac 8. gravissimos DD. Layman, lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 5. Lacroix lib. 6. part. 3. de Matrim. n. 719.

CAS. III. Sacerdos reliquit in suo testamento, quod statim post mortem suum corpus vestiatur habitu tertii Ordinis S. Francisci, & sic indutum deferatur ad Ecclesiam; item quod ipsi quamprimum ibi cantetur Missa solemnis, musicis instrumentis associata. Rite ne hæc exequi possunt?

Resp. quoad primam partem negative. Ratio colligitur ex Rituali Romano tit. de Exeq. ubi expresse præscribitur, ut nedum Sacerdotes, verum etiam alii Clerici, post mortem induantur super vestem sacro vestitu Sacerdotali, vel Clericali, quem sui Ordinis ratio deposcit. Et hanc dispositionem omnino servandam esse, præcepit Clemens XI. die 4. Februarii 1705. per suum Edictum, seu Decretum, quod pag. 317. Bullarii ejusdem legi potest, & refertur à P. Cavalieri in Agend. Defunct. cap. 17. dec. 19. Ergo præfati Sacerdotis dispositio quantum ad ejus corpus, post mortem, illico vestiendum habitu tertii Ordinis S. Francisci, & ipsum sic indutum deferendum ad Ecclesiam; rite exequi non potest. Quantum ad secundam, videtur pariter negative respondendum, tunc quia Eccles. 22. 6. habetur: *Musica in luctu importuna narratio*; tum quia expresse id vetuit Benedictus XIII. in Concilio Romano tit. 15. cap. 6. hisce verbis: *In Missis Defunctorum non pulsentur organa, neque aliud quodvis Musicum instrumentum adhibeatur*. Tum quia denique etiam Cæremoniale Episcoporum videtur excludere Musicam, & instrumenta lib. 1. cap. 28. inquit: *In Missis, & Officiis Defunctorum nec Organo, nec Musica, quam figuratam vocant, utimur, sed cantu firmo, quem etiam in tempore Adventus, & Quadragesimæ in ferialibus diebus adhiberi convenit*. At quia in hac Metropolitana Ecclesia Bononiensi, aliisque Ecclesiis ejusdem Civitatis, & Organum, & Musica instrumenta, cum cantu musicali figurato, in Missis solemnibus pro defunctis pluribus in singulos annos adhibentur, prout omnibus notissimum est, loci consuetudinem pro hujus secundæ partis resolutione quoad hoc consulendam censeo.

CAS. I. Furibus deprædantibus domum Sempronii, volebat Titius clamare; at Sergius eidem, ut sileret, suasit. Q. an Sergius teneatur reficere damnum Sempronio?

Resp. cum distinctione. Vel Sergius suasit Titio, ut sileret, ex rationabili motivo; puta, quia clamando periculum incurrebat, ut necaretur, vel aliud grave damnum pareretur à furibus, & in isto casu dico, Sergium non teneri reficere damnum Sempronio, quia sicuti neque ipse Titius non clamando, ob istud motivum, hanc obligationem habuisset, eo quia cum tanto periculo non tenebatur clamare; ita neque Sergius hanc habet obligationem, si ob istud motivum Titio, ut sileret, suasit. Vel Sergius suasit Titio, ut sileret, absque rationabili motivo; & tunc dico, DD. satis communiter sic subdistinguere: Vel Titius tenebatur clamare ex justitia, vel solum ex charitate. Si primum, unanimiter inquirunt, Sergium, in Titii defectu, teneri Sempronio damnum reficere; eo quia sua mala suasionem, pravoque consilio, retraxit Titium ab impedienda deprædatione illius domus, quam Titius clamando facile poterat, ac ex justitia tenebatur impedire. Unde cum ille, qui est causa causæ damnificantis, sit etiam causa damni provenientis à tali causa; hinc fit, quod Sergius, cujus suasionem, ac consilio Titius non clamavit, ideoque prædictum damnum non impedit, in hujus defectu teneatur reficere damnum Sempronio. E contra si Titius tenebatur clamare solum ex charitate, volunt quamplures cum Girib. de Rest. c. 3. dub. 5. n. 45. quod si Sergius non retraxit Titium à clamando, vi, fraude, aut dolo, non teneatur reficere damnum Sempronio, licet etiam id fecerit ex odio, quia non proinde peccavit contra justitiam; nam ex una parte Sempronius in hoc casu nullum jus habebat, quod Titius clamaret; ex alia suasio, & consilium non aliam participat malitiam, quam illam, quam habet res consiliata, & persuasa. Cum igitur hæc non haberet in casu malitiam nisi contra charitatem; ideo solum contra hanc Sergius peccavit; & sic non tenetur, &c. Opposita nihilominus opinio Navarri, Baucil, & aliorum etiam in casu Sergium obligantium, videtur probabilior; etsi enim Sempronius non haberet jus, ut Titius clamaret; tamen jus habebat, ne hunc clamare volentem Sergius impediret, seu retraheret, unde in casu valet regula 30. de Reg. Jur. *Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur*.

CAS. II. Prædium, suppositum censui, non affert tot fructus, quot Censui reddit. Q. an Censui iste subsistat?

Resp. cum distinctione. Vel id provenit ex culpa censuarii, puta, quia hic non facit ipsum colere: Vel non. Si non, dico, hunc censum non subsistere. Ratio est, quia cum census sit jus percipiendi fructus ex re aliena, hæc debet esse fructifera, & computato uno, vel altero anno cum aliis, saltem tot fructus reddere, quod detractis expensis, sufficiunt ad pensionem census solvendam, uti colligitur ex Bulla Pii V. ac exigit ipsa natura contractus, & dicitur ipsummet lumen rationis. Quare si prædium censui suppositum, absque censuarii culpa, tali modo non fructificat, iste census non subsistit. Et si id provenit ex quo prædium in parte perierit, debet

ad ratam minui pensio, siquidem quod res censita sit fructifera saltem prædicto modo, est conditio essentialis, ut recte notant Giribaldus de censib. dub. 2. num. 11. aliique comm. Et sicuti re quoad sui partem pereunte, hujus cessant fructus, ita justum est, quod tali in casu etiam pensio minuat; cum ita se habeat tota pensio in ordine ad totum Prædium censitum, sicuti pars ad partem. Quod si prædium censui suppositum non affert tot fructus, &c. ex culpa ipsius censuarii; quia scilicet hic debitam curam, & culturam circa prædium censitum non exercet; in isto casu dico, censum subsistere, ac censuarium debere sibimet damnum imputare, nam tunc habet de se prædium præfatam conditionem essentialem, & si hoc non affert tot fructus, quot reddit census, hoc non provenit ex eo, quod prædium non sit fructiferum, sed ex eo, quod censuarium ipsum non colat, prout facere deberet, proinde in casu non eximitur ab onere solvendi totam, & integram pensionem.

CAS. III. Cum particularibus quibusdam diebus intra annum Missæ pro Defunctis celebrari nequeant. Q. an saltem super Defunctorum cadavera Exequiæ tunc agi possint publicæ, ac solemniter?

Resp. quandoque posse, persolutis tamen officiis; & dummodo ibidem non sit publice expositum SS. Sacramentum, quandoque vero id agi non posse. Et quia incipiendo à diebus, quibus id agi non potest, res clarius, ac citius expeditur, ideo dico, exequias publice, ac solemniter non posse agi feria quinta, & sexta hebdomadæ majoris, necnon in Sabbato Sancto, saltem usque ad meridiem, nam S. R. C. die 11. Augusti 1736. edidit hoc Decretum: *In secundo triduo majoris hebdomadæ non possunt celebrari Exequiæ defunctorum, & Officium, & preces recitentur privatim*, hoc est, submissa, immo submississima voce: quomodo eadem S. C. die 15. Maji 1745. mandavit Parochis, in præfata feria VI. Viaticum deferentibus ad infirmos, ut consuetos Psalmos private, & submisse, quinimmo submississima voce recitent. Dixi in Sabbato Sancto, saltem usque ad meridiem, eo quia P. Cavalieri in Agen. Defunct. cap. 15. decret. 15. num. 5. censet, tali die post meridiem exequias agi posse etiam cum cantu, & solemniter; quod tamen negat fieri posse mane feriæ V. in Coena Domini, ne quis retrahatur à consideratione institutionis SS. Eucharistiæ Sacramenti, quod plenam nostram considerationem, & exultationem exposcit. Secundo, nequeunt publice, ac solemniter peragi Exequiæ prima die Paschatis, eo quod sit maxima dies lætitiæ; ac in die Nativitatis D. N. J. C. quæ est supparis Solemnitatis cum prima die Paschatis, unde non nisi de nocte talibus diebus posse publicas, & solemnnes Exequias agi, inquit Cavalieri l. c. num. 6. immo ad id faciendum requirit licentiam Episcopi. Quoad cæteras postea festivitates, etiam primæ classis, agi posse hujusmodi Exequias publice, ac solemniter, saltem post vespertinas functiones, dico cum eodem Auctore, eo quia non sunt paris solemnitatis cum duabus prædictis, licet aliæ dentur æqualis ritus. Nec inficior, in festis minoribus solemnibus fieri posse etiam mane post alias functiones, quæ tamen cavendum est, quod non impediantur, ut monet Rituale Romanum tit. de Exeq. §. 5. & etiam quod numquam peragantur quando, & ubi expositum est publicæ venerationi SS. Sacramentum:

tum: quemadmodum enim eo tunc nec cadaver inferri debet in Ecclesiam, ne populus Christum adorans, ad alia divertatur; ita nec debent peragi Exequiæ ob idem motivum.

M E N S E D E C E M B R I S.

CAS. I. Sacerdos obtinuit facultatem excipiendi Confessiones quoad Mares tantum. Q. an illam habeat pro hermaphroditis?

Resp. illam habere pro hermaphroditis, in quibus prævalet sexus virilis, non sic pro iis, in quibus prævalet sexus fœmineus. Ratio est, quia hermaphroditus connumerandus est inter illius sexus prævalentis personas; ob hoc enim, cui prævalet sexus virilis, nequit nubere viro, & cui prævalet sexus fœmineus, nequit ducere uxorem. Ergo si Sacerdos habet facultatem excipiendi confessiones quoad mares tantum, illam solummodo habet pro hermaphroditis, in quibus prævalet sexus virilis. At dices, quid agendum hermaphroditis, cui non constat de prævalentia alterutrius? Respondeo in primis ipsum confiteri volentem pergere posse ad confitendum approbato tam pro viris, quam pro mulieribus. Deinde vel talis hermaphroditus fecit sexus electionem, vel non. Si non, dico, ipsum confiteri debere approbato ad utrumque sexum, quia sive ipse sit mas, sive fœmina, semel ac exponit peccata habenti facultatem ad utrumque sexum, alio non obstante, potest ab eo absolvi. Si postea ipse jam fecit sexus electionem, tunc potest adire Confessarium approbatum pro personis illius sexus quem ipse elegit.

CAS. II. Alter Sacerdos celebrando Missam in nocte Nativitatis Christi Domini, una simul cum sanguine deglutivit muscam. Q. an postmodum possit alias duas Missas celebrare?

Resp. negative. Non enim hic est casus de eo, qui respirando attrahat per os, aut per nares muscam, illamque sic trajiciat ad stomachum; in quo casu est communis opinio Giribaldi de Eucharist. c. 10. dub. 1. num. 6. Lugi, Fagundez, aliorumque DD. non per hoc fractum fuisse naturale jejunium: longe enim est dispar ratio in casu nostro; in quo Sacerdos dicitur illam sumpsisse per eandem sumptionem, qua sumpsit sanguinem, & sic per veram actionem, ac sumptionem per modum potus. Cum igitur sumptio rei alterabilis, ac nutritivæ, sicuti per DD. comm. est musca, sive sit facta per modum cibi, sive per modum potus, revera frangat naturale jejunium, adeoque sit impedimento Missæ celebrationi, aut communioni, ut ex Conciliis, & Patribus, immo ex traditione Ecclesiæ à tempore Apostolorum ostendit Suarez disp. 68. sect. 3. ideo dici debet, Sacerdotem in casu postmodum non posse alias duas Missas celebrare. Nec obstat, ipsum eam non sumpsisse ex industria, sed inadvertenter, nam etiam qui inadvertenter comedit, vel bibit ante celebrationem, aut communionem, ad tale factum advertens, tenetur abstinere à celebratione, aut communionem, ut vidimus in resp. ad Cas. I. Januarii 1754.

CAS. III. Cum *Te Deum* regulariter non dicatur in Officio Festi SS. Innocentium: Q. cur postea dicatur in eorumdem Octava, immo & in die festo, si hoc incidat in Dominicam?

Resp.

Resp. rationem diversitatis ab hoc peti à Gabanto, & aliis, quia Octava significat Beatitudinis terminum: quo Innocentes, pro Christo occisi, cum eodem pervenerunt. Unde quia hujusmodi locus, locus est gaudii, ac sempiternæ lætitiæ; ideo in Octava eorumdem canitur *Te Deum*, quod lætitiæ resonat, ac est hymnus plenus lætitiæ. Ob rationem consimilem canitur quoque, cum festum prædictum cadit in Dominicam; hæc enim dies Domini est, ac rememorativa Dominicæ Resurrectionis, quæ omnem tristi-
tiam expulit, ideoque conveniens est, ut exultemus, ac lætemur in ea, præfatum hymnum recitando, etiam in festo SS. Innocentium; quamvis si in aliam quamcumque diem incidat tale festum, ob memoriam sævissimæ cædis, ab iniquo Rege de iis factæ, ac gemitus Matrum, idem hymnus re-
ticeatur. Atque hinc est, quod color violaceus in festo incidente in alios dies, in Dominica vero, & Octava rubeus adhibeatur. Cæterum si alicubi SS. Innocentes sint Titulares Ecclesiæ, vel Patroni; immo, juxta Bauldrium part. 4. cap. 2. num. 3. contra Haldem, si in aliqua Ecclesia sint plura corpora (prout hic Bononiæ sunt in Ecclesia S. Francisci PP. Minor. Convent.) aut insignes Reliquiæ SS. Innocentium, ibi quocumque die occurrat festum, dicitur *Te Deum* in Officio, & *Gloria in excelsis* in Missa, cum colore rubeo.

FINIS.

INDEX

CASUUM, QUI IN HOC VOLUMINE continentur.

Primus numerus paginam, secundus casum pagine significat.

A

A Bortus 48. 2. 37. 1. 289. 3.
 Absolutio à peccatis.
 Quoad sensibus destitutum. 5. 3. 65. 2.
 171. 2.
 Quoad ignorantiam. 21. 1. 30. 1. 31. 1.
 Quoad occasionem. 18. 1. 24. 3. 36. 3.
 52. 2. 89. 2. 96. 3. 150. 3. 274. 2.
 278. 1. 289. 2.
 Quoad absentiam. 51. 1.
 Quoad excommunicationem. 57. 3. 138.
 1. 180. 3.
 Quoad divortium. 143. 3.
 Quoad reservationem. Vid. reservatio.
 Quoad Censuras. Vid. Censuræ.
 Adjuratio. 164. 2.
 Adoptio. 159. 3.
 Adulterium. 6. 3. 48. 1. 122. 1.
 Affinitas. Vid. Impedimenta. Vid. Reservatio.
 Alienatio. Vid. Censura ob alienationem.
 Altare privilegiatum. 105. 3. 199. 3.
 Archipresbyter. 8. 1. 11. 1. 215. 1.
 Aspectus. 235. 3.

B

B Aptisma.
 Quoad subjectum. 71. 2. 238. 3.
 Quoad formam. 99. 1.
 Quoad nominis impositionem. 35. 2.

Quoad dilationem. 38. 1. 93. 2.
 Quoad iterationem. 11. 1. 67. 2. 69. 3.
 71. 2. 91. 1. 240. 1.
 Quoad Patrimonios. Vid. Patrimonios.
 Benedictio. 86. 3. 195. 2.
 Beneficiarius.
 Beneficium.
 Quoad possessionem. 97. 3. 257. 1.
 ibidem 2.
 Quoad fructus. 97. 3. 102. 3. 112. 2.
 131. 3. 192. 1. 257. 1. 219. 3.
 Blasphemia. 36. 1. 39. 2. 76. 3. 142. 2.
 Breve Pœnitentiariæ.
 Quoad clausulas. 57. 1. 58. 1. 60. 1.
 61. 1. 62. 1. 63. 1. 64. 1.

C

C Campanæ. 100. 3.
 Canonicus. 102. 2.
 Capellanus.
 Quoad satisfactionem obligationis. 118.
 1. 129. 3. 136. 1. 168. 1. 180. 1.
 199. 3.
 Carceratus. 123. 2. 127. 1. 242. 3.
 Celebrans. In lethali. 64. 3.
 Quoad ritum. 82. 1. 83. 2. 123. 3. 125.
 2. 129. 2. 133. 1. 152. 1. 201. 3.
 202. 3. 205. 3. 207. 3. 211. 2. Vid.
 Missa.
 Quoad intentionem. 7. 2.
 Quoad defectus supplendos. 66. 1. 125.
 2. 126. 3. 132. 2.
 Quoad applicationem, tempus, & sti-